



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

30. 31. 32. Quid ergo dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem quæ ex fide est: Israel verò, sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

ex sola sua voluntate, tanquam vnica talis decreti causa, ad interitum & damnationem æternam decreuisse, & in tempore creæe atque formare) ex hac Apostoli disputatione comprobandas & asserendas, frustra & inaniter, impiè & impudenter, falsò ac fallaciter contendit Calvinus, & post eum Beza.

30. *Quid ergo dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem quæ ex fide est.*
31. *Israel vero, sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis.*

Quæstio-
nem ini-
tio capituli
propositam
soluere in-
cipit.

Totius
capituli
breuis re-
capitula-
tio.

Concludit hinc Apostolus præcedentem disputationem, & quæstionem soluit (aut certè soluere incipit) quam sibi proposuerat, circa reiectionem & incredulitatem Iudæorum, an propterea Dei verbum exciderit, ac promissiones à Deo Iudæis factæ inanes & irritæ fuerint. Quam enim hætenus docuerit, promissiones istas non carnali semini Abraham, sed spiritali semini, sectantibus vestigia fidei Abraham, factas esse; ideòque Dei vocationem & electionem non ex carnali propagatione aut ex Iudæorum iudicio fieri (qui similiter natos, similiter à Deo vocandos, similiter prærogatiua donandos carnaliter existimant).

rabant, vt idcirco ad omnes, adeoque
 illos tanquam semen Abrahæ, pro-
 uisiones pertinerent) exemplis Isaac &
 Iacob, Iacob & Esau ostendisset; ex hac
 ratione generalem subijciens doctrinam
 Dei misericordia gratuita, qua quibus
 miseretur, & quos vult, indurat;
 in gloriam præparans, alios, quos
 in multa patientia sustinuit ad ostensio-
 nem iustitiæ suæ, deserens & puniens; vn-
 de Gentes misericorditer à Deo vocatas,
 quædam Iudæorum reliquias misericor-
 diter seruatas (iuxta veteres prophetias) sub-
 iungit, nunc, cur maxima Iudæorum pars
 reiecta fuerit, docere vult. *Quid ergo dicemus?*
 inquit, id est: Ex his omnibus quid conclu-
 demus? Istud sanè: *Quòd Gentes, quæ non se-*
culariter iustitiam, apprehenderunt iustitiam iu-
stam autem quæ ex fide est: id est, Gentiles ho-
mines, qui Deum non quærebant, qui eum
penitus ignorabant, aut certè eum non glo-
rificabant, sed seruiebant creaturæ potius
quam Creatori, per gratiam Euangelicæ præ-
dicatōnis, quam audierunt, apprehenderunt iu-
stam, id est, viam inuenerunt qua coram
Deo iustificarentur: iustitiam autem quæ ex fide
est: id est, non ex aliqua operum iustitia præ-
cedente iustificarentur, sed ex fide in Chri-
stum; quia à fide salutis viam incipere oportet;
& hæc vna fides impetrat cætera quibus
salus perficitur. Israel verò, sectando legem iustitiæ,
 id est,

Gentium
 conuersio
 qualis.

Iudæorum
reiectionis
qualis.

id est, Iudæi, audita fide Christi, ad hoc
lentes manere in suis legalibus (nam de illo
Israel loquitur, & de illis Iudæis qui Christi
& Evangelicæ prædicationi credere nolue-
runt) & putantes per sua legalia se iustificari
posse, siue obseruando semper ceremonias
legales, siue quoad moralia seruanda legis
strinam sibi sufficere arbitrantur; in ipsa
iustitia non peruenit: id est, veram iustitia-
viam & rationem (est enim in verbo legis pro-
nomasia) non peruenit, siue coram Deo
iustificari non potuit. Quare autem hoc
ait Apostolus, moxque respondet: *Quia non
fide, sed quasi ex operibus*. Quod quia conuenit
dictum, perspicue adhuc non intelligitur,
vtrumque statim exponit: *Non ex fide, qui
offenderunt in lapidem offensionis*; id est, in Chri-
stum credere & Christi gratiam agnoscere
noluerunt. *Quasi ex operibus*; quia, vt in exor-
dio sequentis capituli prosequitur, *Ignorantes
Dei iustitiam, & suam volentes constituere*, id est,
non agnoscetes illam iustitiam quæ ex Deo
est, & adiutorio gratiæ Dei, sed suam sui
proprijs viribus factam iustitiam sibi arro-
gantes; *iustitia Dei non sunt subiecti*, id est, non
seruiunt veræ iustitiæ, quæ ex Deo est. Stant
ergo proxima causa reiectionis Iudæo-
rum, quia in Christum credere, & Mediatoris
gratiam amplecti noluerunt, sed propriæ
legali iustitiæ confidentes, malè querendo
iustitiam, ab omni vera iustitiâ & salute ex-
ciderunt.

erunt. Hunc sensum literæ prorsus inhaerentem, fluentem, ac germanum, tradit non solum doctissimus Augustinus: Quod Ecclesiam persequatur Paulus secundum emulationem veterum traditionum, in eo suam iustitiam conuenit, non iustitiam Dei querebat. Vnde alio loco dicitur: Quia Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, scilicet quæ ex lege est, quasi propriam suam, non de timore pœnæ, non de amore iustitiæ, appetunt iustitiam quæ ex fide est. Israel autem, sequens legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide. Quid est, quia non ex fide? Quia sperant in Deum, non illam petunt à Deo, non sicut in eum qui iustificat impium; non sicut in Pharaonem oculos in terram deiicienti, sed similis Pharaonem de suis operibus superbe gloriati. Offenderunt in legem offensionis. Ecce vnde Saulus persequatur Ecclesiam: quando enim persequatur Ecclesiam, in legem offensionis offendebat. Hæc ibi Augustinus. Rursum alio in loco, tractans eadem verba, Quare? quia non ex fide, sed tanquam ex operibus; exponit, Id est, tanquam iustitiam per se ipsos operantes, non in se credentes operari Deum. Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari, pro bona voluntate: ac per hoc offenderunt in legem offensionis. Nam quid dixerit, Quia non ex fide, sed tanquam ex operibus, apertissime exponit dicens: Ignorantes Dei iustitiam, & suam voluntatem constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Fidem enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et adhuc dubitamus quæ sunt opera legis quibus homo

Serm. 115.
 de verb.
 Apost.

De Spir.
 tu & lit.
 cap. 28.

homo non iustificatur, si ea tanquam sua crediderit, sine adiutorio & dono Dei, quod est ex fide Iesu Christi, & circumcisionem ceteraque talia suspicamus. Hæc ille.

Quibus ita explicatis, nunc ad Calvinum corruptelas animum attendamus. Non (inquirit) quo præcidat Iudæis omnem occasionem murmurandi Deo, incipit causas ostendere humanæ captui comprehensibiles, cur gens Iudæica ita abacta fuerit. Non solum humano captui comprehensibiles, sed veræ & proximæ causæ sunt, quas Apostolus ostendere nunc incipit, ipsam videlicet incredulitatem Iudæorum, etiamque de lege sua gloriationem. Faciunt autem perperam (ait Calvinus) & ordinem inordinant, qui has causas statuere & erigere conantur supra arcanam Dei prædestinationem, quam ipsa prærema causa habendam prius docuit. Verum quæ admodum illa causis omnibus est superior, ita ipsorum prauitas & malitia locum materiamque præter Dei iudicij. Vidit impius Calvinus, impie blasphemæ suæ doctrinæ superius traditæ, qua Deum homines ab æterno ad exitum decernere sua sola voluntate, absque peccatorum præuisione aut cōsideratione, docuit, hæc Apostoli verba ex diametro aduertit, in quibus vera reiectionis Iudæorum causa ponitur nō aliqua Dei voluntas qua eos voluit perdere, sed ipsa Iudæorum incredulitas, improbitas, & pertinacia. Vult ergo huius malo occurrere, & Dei voluntatem esse præ-

Reprobationis prima causa peccata reprobati.

primam & primam causam perditionis Iu-
 dæorum, cui diuinæ voluntati Iudæorum
 prauitas & malitia locum materiãque præ-
 buit. Hic ergo iterum à Caluino quærimus,
 hæc hominum prauitas & malitia, diuino
 iudicio locum & materiã præbens, fuit à
 Deo ceterò præcognita & præuisa, an non præ-
 cognita nec præuisa. Si non præcognita nec
 præuisa, ergo Dei iudicio aut voluntati nec
 locum nec materiã præbet; sed casu acci-
 dens, Dei iudicium ac voluntatem per acci-
 dens cohonestat, & æquiores videri facit.
 simile est, si Iudas Petrum perdere voluit,
 quod Petri flagitium interuenisse cur me-
 ritò perderetur, & sic Iudæ votis locum ac
 materiã Petri flagitium præbuisse. Vbi sa-
 tis Petrus iustè punitur, sed Iudæ volun-
 tatis iniquitate non excusatur. Si homi-
 num prauitas ac malitia fuit à Deo præcog-
 nita ac præuisa, quæritur an propter eam sic
 præuisam Deus illos reiecerit ac reprobaue-
 rit, an verò non propter eam, sed propter
 suum decretum absolutum quo voluit tales
 reprobare. Si propter eam (vt hîc Paulus
 docet, & omnes Scripturæ attestantur) hæc
 ergo prima & suprema & sola causa est per-
 ditionis impiorum, non vlla Dei voluntas
 absoluta; & frustra hîc Calvinus conquiritur
 de ordine causarum inuerso. Si non pro-
 pter eam, manet idem absurdum quod prius;
 & perinde est ac si eam Deus non præuidis-
 set;

set; nec nisi per accidens fit, quòd homines propter peccata sua à Deo reprobantur ac que damnantur; ideoque potissimum peccant, quia Deus vult eos perdere: denique negata peccatorum præuisione, aut negato quòd propter ea Deus homines dānat; reprobatio & indubitata erit illa impia & desperabilissima vox: Siue rectè vitam instituerò, siue secus, saluari non potero, si de numero reprobatorum sum. Nam iuxta Calvinum suprema reprobationis causa est sola Dei voluntas. Hominum autem malitia non nisi locus & materiam Dei iudicio tribuit, idque per accidens, nec à Deo præcogitatum, aut saltem non præordinatum. Cæterum fallum & blasphemum hoc totum est; & ex Scripturis certissimum, Deum non nisi propter peccata impios perdere, nec vlllos mortales nisi propter peccata odio habere; hominumque impiorum prauitatem & malitiam non esse locum ac materiam Dei iudicio, ac præexistenti voluntati, sed dare causam huiusmodi iudicio Dei; & ad tale iudicium iustum, Dei iustitiam prouocare ac voluntatem flectere; quod innumeræ Scripturæ passim docent, quarum aliquas supra attulimus. Sic totum Apostoli intentum callidè inuertere voluit Calvinus, sed frustra.

Nunc vt textum ipsum pestilenter depreuet, aperiemus. Pauli sententiam ita explicat: *Docet Paulus, iustitiam, quam apprehendimus*

Peccata non dant locum sed causā iudicio Dei.

constare fide. At vide quàm affinis
 verbis egregiè lectorem ludit. Non enim ai-
 ius, iustitiam, quam Gentes apprehen-
 derunt, constare fide; sed dicit, *iustitiam, quam*
Gentes apprehenderunt, esse iustitiam ex fide. Nunc
 tatem, esse *iustitiam ex fide, & constare fide,* ma-
 tate differunt. *Constare fide iustitiam,* Caluino
 significat, ex sola fide & in sola fide consiste-
 ntiam iustitiam quam Gentes apprehen-
 derunt, non ex vllis bonis operibus in fide
 ctis: sed, iustitiam quam Gentes apprehen-
 derunt, esse *iustitiam ex fide,* significat, esse
 iustitiam quæ incipit à fide; esse iustitiam
 que est ex Deo & Dei gratia; denique esse
 iustitiam qualem fides adfert, non sola, sed
 per dilectionem operans. Caluini autem sensum
 quem diximus, ipsemet in sequëtibus aperit
 pendere à Domini misericordia, non propria ho-
 minis dignitate. Studium autem illud legis, quo Iu-
 daei reuebantur, præposterum fuisse, quia iustificari
 opera studebant; sicque eò contendebant, quod
 operante non poterant. Hæc ille omnia propter
 Paulini artificiosam immutationem,
 constare fide. Atqui *iustitia ex fide,* quam hîc
 apostolus Gentibus iustificatis tribuit, tan-
 tum pendet à Domini misericordia non tan-
 tum aut fide constat sola, aut propriam ho-
 minis dignitatem excludit, vt suprâ contra
 Caluinum docuimus. Ex Domini misericor-
 dia pendent opera in fide facta non secus
 quam fides: & vt in prima iustificatione im-

Verborū
 vicinitate
 fallit Cal-
 uinus.

ad Rom
 cap. ix
 in prim
 in prim
 in prim

in prim
 in prim
 in prim
 in prim



UNIVERSITÄTS-
 BIBLIOTHEK
 PADERBORN

pij nulla hominis dignitas consideretur, tamen in glorificatione iustificati magna eius dignitas expenditur, quia filius Dei talis est; nec per solam fidem filius, sed per charitatem in primis. Nec studium legis in Iudæis reprehenditur, quòd per opera iustificari debebant; sed studium legis ideo in eis reprehenditur, quòd ex sola legis doctrina volebant constituere iustitiam, & nõ fide ad Christum accedere, vt sic iustitiæ Dei subicerentur, id est, opera iusta ex Deo Deique deo facerent, vt sic ad iustitiam Dei peruenirent, & coram Deo iusti censerentur, sicuti ex Augustino nuper accepimus. Nec hanc causam, cur Iudæi ad legem iustitiæ non peruenirent, ponit Apostolus, quia per opera iustitiam studerent, vbi iterum vicinitate verborum fallit lectorem Calvinus; sed, quia non ex fide; quod statim exponit, quia offenderunt lapidem offensionis, id est, credere in Christum noluerunt, additque, non, vt Calvinus vult. Sed per opera, verum, Sed quasi ex operibus vbi illud, quasi, modificat opera Iudæorum, non excludit opera verè bona credentium. Nam, quasi ex operibus, dicit, quia, vt postea exponit, iustitiam suam constituere, stabilire, iactitare volebant, id est, non per opera fidei, aut iustitiam ex fide, aut Dei iustitiam (hæc enim omnia idem valent) iustificari volebant, sed per iustitiam propriam, quasi per opera, aut quasi ex operibus absolute sumptis,

Legis studium quo modo in Iudæis reprehenditur.

Vicinitate verborum iterum fallit Calvinus.

absque fide præuia, absque dono & gratia Christi. Hæc est vera causa ab Apostolo posita, cur Iudæi studium legis præposterè reiecerant. Calvinus callidè aliam causam proponit, moxque veram causam, quam penitus dissimulare non potuit, quasi ex abundantia adiectam recenset: *Quin & in Christum impingebant, per quem unum ad iustitiam patebat.* Non *quin &*, sed simpliciter quia in Christum impingebant, ideo in legem iustitiae non peruenierunt. Sic enim impingendo se caruerunt, & consequenter iustitia fidei, quam Gentes credendo in Christum assequuti sunt.

Pergit fallere & impostorem agere Calvinus. *Cæterum (inquit) hoc priori membro propositum Apostolo fuit, meram Dei gratiam euehere, ut alia causa in Gentium vocatione queratur, nisi ad indignos fauore suo amplecti dignatus est.* Est eadem hoc verum de causa vocationis Gentium, sed illam causam hoc loco euehere Apostolo propositum non fuit, quando non illam ob causam illam Dei gratiam hoc loco euehit, quàm ut Iudæorū iusta reiectio per hanc antithesim magis elucesceret. Nempe propositum illi fuit, causam reiectionis Iudæorū in medium proferre, sicut ipse nuper Calvinus professus est, non causam vocationis Gentium euehere. Et sanè si euehere illam causam Apostolus hinc vellet, pluribus id verbis & efficacius faceret. Sed quorsum

hoc sibi finxerit Calvinus, sequentia docerunt. De iustitia (inquit) nominatim loquitur, sine qua salus non contingit. Sed Gentium iustitiam in gratuita reconciliatione positam esse significat, ex fide eam manare dicens. Rursum vicinitate verborum fallit. Dixit Apostolus, Gentes apprehendisse iustitiam, iustitiam autem ex fide. Non dixit hanc iustitiam ex fide manare, ut illa tota in gratuita recōciliatione ponatur. Vocatur iustitia Gentium, quam Dei beneficio apprehenderunt, iustitia ex fide, ut distinguitur à iustitia ex operibus, quam sibi arrogabant Iudæi: id est, vocatur talis iustitia, cuius principium sit fides Mediatoris, non humane iustitiæ opera. Et eo sanè sensu ex fide manat iustitia fidelium, quatenus à fide ortum capit; sed non in sensu Calvinii, quatenus gratuitam reconciliationem fide apprehendit. De qua re tota in præcedentibus latè disputauimus. Fides ex qua iustitia est, tum alia multa apprehendit & credit præter gratuitam reconciliationem, ut possit ad iustitiam ualere; tum non illa sola, quantumlibet & quantalibet credens, ad iustitiam ualet, sed fides qua per charitatem operatur in Christo ad iustitiam ualet, ut ipsemet Paulus definitè docuit. Nunc autem Calvinus propter solam gratuitam reconciliationem iustitiam ex fide manare, & istud hoc loco Apostolum docere uult. Sic enim prosequitur: Nam si qui Gentes iustificatas esse fingat, quia fide adepti sunt Spiritum

Verborū
vicinitate
rectio fallit.

Iustitia fidelium
quomodo
ex fide
manat.

Gal. 5.

regenerationis, longè discedet à Pauli mente. Observanda semper sunt Apostoli verba, & quomodo impostor Calvinus illa penitus mutans, alia dicere Apostolum fingat, ac lamia, vera prole sublata, suam ex verbo supponat. Apostolus hoc loco non docet dicit Gentes aliquid ex fide apprehendisse, seu gratuitam reconciliationem, sed Spiritum regenerationis, de quo hinc Calvinus quasi de Apostoli verbis studiosè conat. De apprehensione ex fide Apostolus non loquitur, sed de iustitia ex fide. Illud, ex fide, non cum verbo, apprehenderunt, copulatur, sed cum verbo, iustitiam. Quum enim dixisset, Gentes apprehenderunt iustitiam: non statim adicit, ex fide: quod tamen si adiunxisset, dubitè nihilominus posset an illud, ex fide, cum verbo apprehenderunt copulandum foret. Nunc verò omni dubitatione sublata, repetè specificando quam iustitiam dicat: Iustitiam autem ex fide: id est, Iustitiam dico non legalem, non civilem, non moralem, non quomodocumque humanam, sed iustitiam que ex fide est Christi, qua ex Deo est iustitia in fide, Phil. 3.9. ubi alibi loquitur. Docet ergo, quam & qualem iustitiã Gentes apprehenderint, non modo aut quomodo apprehenderint. Videt hinc Lector à verbis Apostoli longè vagari Calvinum, & aliam Apostoli disputationem fingere, ut sua venenata dogmata quasi Apostoli ea disputatione fulciat atque corroboret.

Calvini impostura singularis in locum extrahitur



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ret. Planè ergo (vt ad eius verba redeamus) à Pauli mente lōgè discedit, qui docere eum hoc loco existimat, ipsa fide aut gratuita reconciliationem apprehendi, aut Spiritum regenerationis. Neutrū enim hīc docet Apostolus, de neutro disputat. Verum quidē est, gratuitam reconciliationē fide apprehēdi, sed sensu quem nuper diximus, Spiritū quoque regenerationis Gentes fide adeptas esse (quatenus non nisi credentibus ille Spiritus datur, vel potius vt crederent Gentes) & ideo iustificatas fuisse, verum est. Sed neutrum horum Apostolus hoc loco tractat, quia non de eo quod fide apprehēderūt Gētes, sed de iustitia ex fide, quā apprehēderunt, Paulus loquitur.

Audiamus tamen cur à Pauli mente (Caluini iudicio) lōgè discedat, qui affirmat, idē Gentes iustificatas esse, quia fide adeptæ sunt Spiritum regenerationis; quique docet ad iustificationem ex fide non secus requiri atque à Deo conferri Spiritum regenerationis quàm gratuitā reconciliationem. Hic enim Caluini scopus hoc loco est, vt in sola gratuita reconciliatione iustitiā ex fide ponat, quàm Gentes apprehēderunt. Neque enim (inquit Calvinus) veram esset, apprehēditæ quæ non quærebant, nisi quia gratis vagos & errantes amplexus est Deus, iustitiāque, cuius incognitum nullum vigere studium poterat, obtulit. Videat hic (quæso) Lector, quàm insulso & putido argumentō, Christianæ fidei dogma longè grauiusimum

Caluini
intulsum
argum. in
causa gra-
uissima.

sum cæcus hæreticus impugnat. Sic
 se habet eius argumentum: Gentes ap-
 prebenderunt quod non quærebant; & iusti-
 tiam incognitam, ideoque non desideratam,
 illis gratis obtulit: ergo non sunt ex
 iustificatæ, quod Spiritum regenerationis
 acceperunt fuerint. Quasi videlicet hæc duo
 repugnant, impium à Deo iustificatum
 Spiritu regenerationis donari ut iustus fiat,
 tale impium ante acceptum regenerationis
 Spiritum omni veræ iustitiæ cognitione ac-
 cibus caruisse. Nō repugnant hæc duo: imò
 non repugnant, ut necessariò & indiu-
 lico nexu coniungantur, quatenus necesse
 est unum præsupponi, ut alterum consequatur.
 Neque enim Spiritus regenerationis cui
 Spiritus datur, nisi veræ iustitiæ ignaro, & mi-
 sericordioso. Sicut gratuita reconciliatio nō
 datur nisi peccatoribus, & nouæ sanitatis be-
 neficium non confertur nisi ægrotis, sic Spi-
 ritus regenerationis non datur nisi diuino
 Spiritu vacuis, & spiritualis iustitiæ penitus
 ignaris. Spiritu regenerantur qui in carne
 sunt, & secundum carnem viuunt, ut carna-
 li generatione & vetustate abolita (quod enim
 caro est de carne, caro est) nouam natiuitatem
 accipiant, facti noua in Christo creatura, induen-
 tes nouum hominem, & ambulantes secundum
 Spiritum. Sic Gentes hoc loco omnes incre-
 duli & impii, non quæruni iustitiam, nec se-
 rantur eam, sed per misericordiam Dei &
 gratiam

Pp 4

Regene-
 rationis
 Spiritus
 confertur
 carnali-
 bus.

Ioan. 3.
 Gal. 6.
 Ephes. 5.
 Rom. 8.

iusiitia ex gratiam Christi, accipientes iustitiam ex fide in de, tum facta remissione peccatorum gra-

tuista reconciliantur Deo, tum accepto Spiritu regenerationis. fiunt noua creatura in Christo. In utroque consistit iustitia ex fide, non in alterutro: quia omnes in Christo iustificati non solum desinunt esse filij reprob-

Ephes. 5. 8 rum, sed fiunt praterea filij lucis: non solum desinunt esse in morte peccati, sed uiuunt

Rom. 5. praterea *uita iustitia*: denique non solum des-

Rom. 8. sinunt *esse in carne*, sed incipiunt *esse in Spiritu*, ambulantes non secundum carnem, sed secundum Spiritum; Spiritu, quem acceperunt, facta carnis mortificationes. Hoc posterius destruere hoc loco, Calvinus uoluit, sed tam infulto argu-

mento, ut vertiginem passus uideatur. Spiritu (inquit) regenerationis iustificatas esse

Gentes credendum non est, quia spirituales iustitiam nec querebant, nec sciebant. Quis

uero quisquam existimet (nisi forte Pelagianus aliquis) Spiritum regenerationis esse

hominibus iam iustis, aut ueram quarentibus iustitiam, ac non potius hominibus po-

nitus iniustis, nec iam quarentibus, sed ut quarent ueram iustitiam. Huiusmodi aliquid

Pelagianum somniasse hic uidetur Calvinus, ut quia Catholicos non potuit, saltem Pel-

agianos perstringeret; & ex Pelagianorum principijs Catholicorum dogma infamaret.

Sic enim prosequitur: *Quin etiam notandum est, non aliter Gentes fide iustitiam adeptos esse, quam*

Pelagian.
impugnat
Calvinus,
ut Catho-
licum do-
gma in-
famaret.

Deus fidem eorum sua gratia antenerit. Nam
 priores aspirassent ad iustitiam, hoc iam fuisset
 sectari. Ita que fides ipsa portio gratia fuit. Hæc
 que omnia contra Pelagianos faciunt.
 Apollor nefarius saluberrimum & in primis
 cellarium Christianæ fidei dogma, quodd
 regenerationis accepto iustificamur
 Deo, & quodd ad iustitiam fidei adi-
 cendum Spiritus regenerationis concur-
 tum nullo iusto argumento impugnare
 potest, contra Pelagianorum principia quasi
 Catholicis concessa disputat, vt aliquid
 quicquam videatur. Et tot quidem modis
 Apollori verba hæctenus inuertit, lectorem
 suum deludit Calvinus. Videamus se-
 quentia.

Ad illa Apollori verba, *Israel, sectando legem
 iustitiam, in legem iustitiam non peruenit*, ita comen-
 tur: *Quod dictu erat incredibile, Paulus liberè
 profert: nihil mirum esse, si Iudæi, strenuè iustitiam
 sectando, nihil profecerint. Verum sanè hoc est.
 Sed quare sic liberè loquitur Apollorus? Quia
 Iudæi (inquit Calvinus) extra viam currendo,
 supra se fatigarunt. Hanc causam Apollorus
 non adfert, quasi strenuè iustitiam sectari, esset
 simpliciter extra viam currere: quod suo le-
 ctori bonus Calvinus insinuare voluit. Aliã
 causam subiunxit Apollorus: *Quia non ex fide,*
de qua mox plura. Nunc Calvinus, vt
strenuè sectari iustitiam, qualis in lege præscrip-
*ta est, lectori persuadeat esse planè extra viam**

*iustitiam
 strenuè se-
 ctari Cal-
 uin o res
 infamis.*

P p 5 currere,

currere, & frustra se fatigare, format sibi ac fingit verborum Apostolicorum hypallagen, eaque callidè inuertit. Tam (inquit) priore *legem iustitia per hypallagen posuisse mihi videtur pro iustitia legis: in repetitione secundi membri, alio sensu sic vocasse iustitia formam seu regulam.* Hypallage quam fingit Calvinus, tamen non ita multum ad rem faciat, admittenda tamen non est. Aliud quippe est apud

Legis iustitia aliud est à iustitia legis.

Apostolum *legis iustitia*, aliud *iustitia legis*. Legis iustitia significare videtur quod apud Apostolū est iustitia ex lege siue per legem, & qualem lex sola adfert iubendo, minando docendo, quam semper à iustificatione excludit Apostolus. Sic Augustinus: *Legis iustitia est, iubere quod Deo placet, vetare quod displicet.* Atqui iustitia legis est ipsa mandatorum legis executio, quam Apostolus à iustitia fidei nonquam excludit; imò quam per iustitiam fidei adimpleri docet. Vnde Augustinus ibidem: *Mira quodam modo, sed tamen vero, iustitiam legis non implet iustitia que in lege non ex lege est, sed que in Spiritu gratia. seu ex fide iustitia est.* Sed voluit Apostolum dicere Calvinus, Iudæos ideo reiectos, quia iustitiam legis sectabantur, id est, quia volebant per obedientiam mandatorum legis iustificari. Ideo subiungit: *Itaque summa est, quod si iustitia legis iustitiam insistsens, eam scilicet que in lege prescripta est, veram iustificationis rationem non tenet.* Fallit lectorem impostor. Non hoc dicit

Contra 1. epist. Pel. libro 2. cap. 7.

Apostolus.

solus, ideo eos à iustitia excidisse, quia
 simpliciter in legis iustitiam insistebant, aut
 simpliciter obedientiæ mandatorum
 incumbébant, sed quia hoc totum abs-
 que fide Mediatoris, absque Spiritu gratiæ
 credere se posse præsumebant. Impostor Cal-
 uinus in his verbis facit plenam Apostoli
 mentem, & nouum membrum constituit,
Quia ex fide, &c. omissa particula, *Quia*: quasi
 simpliciter dixisset Apostolus, Iudæos non
 peruenisse in legem iustitiæ, siue veram iu-
 stitiæ normam ac regulam non tenuisse, quia
 iustitiam legis insistebant, & ex obedi-
 entia mandatorum iustificari volebant. Nunc
 autem Apostolus non dicit ideo eos non per-
 uenisse in legem iustitiæ, quia sectabantur legē
 ipsam; sed ideo sectando non peruenisse,
 quia malè sectabantur, quia non ex fide secta-
 bantur, sed quasi ex operibus. Quam Apostoli
 mentem pulchre his verbis explicat Augu-
 stinus: *Qui secundum iustitiam qua in lege est, sine*
gratia Christi uiuit, (hoc est sectari legis
iustitiam non ex fide) nullam veram putandus
esse habere iustitiam (hoc est non peruenire in
legem iustitiæ) non quia lex vera & sancta non
est, sed quia obedire uelle litera iubenti sine uiuifica-
te Spiritu Dei, quasi ex uiribus liberi arbitrij, iu-
stitia uera non est. Iustitia autem secundum quam
uultus ex fide uiuit, quoniam per Spiritum gratia
uenit ex Deo est, uera iustitia est. Hæc ille. Te-
netur iam ueram Apostoli mentē, Iudæos,
sectan-

Scripturā
 mutilat
 Caluinus.

Contra 2.
 epist. Pel.
 libro 3.
 cap. 7.

sectando legem iustitia, seu querendo iustificari in ipsa iustitia & obedientia legis, non in materia peccasse, sed in forma; non ideo iustitia excidisse, quia vera legis obedientia iustificare non potuit, aut quia sic extra viam currendo, frustra se fatigarunt (vt impius Calvinus loquitur) sed quia sine fide, sine Spiritu gratiæ veram legis iustitiam aut obedientiam assequi non poterant. Sed grauius adhuc & pestilentius est, quo lectorem hic fallit & Apostolum deprauat Calvinus.

Ad illa verba, *Non ex fide, sed quasi ex operibus*, ita glossat Calvinus: *Quia vulgo culpa posteriori iusta esse excusatio videtur, in se eos respiciendo Paulus, qui salutem sibi tentant acquirere operum fiducia, quia fidem, quantum in se est, abiciunt, citra quam nulla speranda est salus. Ita que si voti compotes forent, talis successus vera iustitia emanatio foret. Porro vides vt fides & operum merita comparentur, velut res penitus contrariæ. Quam ob id fiducia operum maximum sit obstaculum, quæ via nobis intercluditur ad iustitiam consequendam, necesse est, vt, illa valere iussa, in vnam Dei bonitatem recumbamus. Terrere enim merito debet bonorum exemplum omnes eos, qui ad regnum Dei per opera obtinendum contendunt. Hæc Calvinus, bonorum operum ac pietatis studio ab omnibus strenuè abijciendo classicum canens Sententiam Apostoli studio & data opera deprauat. Videt Apostolum Iudæorum legem iustitiæ sectantium, & in eam non peruenien-*

Pietati
profligan-
da classi-
cū canit
Calvinus.

mentium, infelicitatem non in eo po-
 ter, quod legem iustitiæ piæ & verè se-
 rentur, sed quia non ex fide non credentes
 mediatorum (offenderunt enim in lapidem of-
 fensum) cuius gratia adiuti, legem iustitiæ
 implere, cuius merito & bene-
 peccatorum remissionem conseque-
 mur, cui per fidem vñiti incorporarètur,
 hinc bona iustitiæ opera Deo ad meritum
 accepta forent, sed quasi ex operibus,
 sed quasi operum suorum, absque fide
 gratia Christi, valore ac præstantia, in le-
 gis iustitiæ, veramque eius executionem &
 fructum, peruenire se posse arbitantes; &
 hoc modo (vt postea rem explicat) suam iu-
 stitiæ consistere volentes, hanc ob causam id,
 quod se debabantur, assecutos non fuisse. Vi-
 detur hanc esse perspicuam Apostoli senten-
 tiam, ab ipsomet Apostolo verbis subsequen-
 tibus explicatam. Homo tamen impius con-
 tra apertam veritatis lucem oculos claudens,
 vult Apostolum dicere, ideo non ex fide, vt so-
 lam fidem statueret, operum studio penitus
 neglecto; & quasi ex operibus, vt eos terreat qui
 ad regnum Dei per opera obtinendum contem-
 ptant. Denique fidem & operum merita sic
 comparari, velut res penitus contrarias. Po-
 tuerunt, fiduciam operum hinc ab Apostolo
 concludi. Hæc 4. affirmat, quorum nec vnum
 in Apostoli verbis apparet. Paulus ait, quia
 non ex fide, vt fidei necessitatem doceret, sine
 qua

Calvinus
 contra a-
 pertam lu-
 cem oculos
 claudit.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 1.

qua nec opera Deo grata fieri, nec ad salutem valere possunt. Fidei necessitatem docet, non perfectionem, quasi vnica ad salutem vnica

2. ac ratio illa esset. Opera Iudæorum rejicit, non quia ad regnū Dei obtinendū in vniversis bona opera nihil valent (quando innumera Scripturæ ea plurimum valere, ac imprimis necessaria esse, luculentissimè doceant) sed quia ex illis solis absque fide, & ex sua quadam ac propria iustitia, non ex Dei iustitia, id est, ex ea quā Deus in pijs operatur, iustitiam

3. cari & saluari volebant. De operum merito nihil loquitur Apostolus. Et quomodo ea cum fide cōpararet, veluti rem fidei penitus contrariā? Itāne verò operū merita fidei sunt contraria? Ergo fides Christiana damnat bona opera? Non damnat (inquies) bona opera, sed operum merita. Atqui ostende in toto contextu Pauli meriti vocabulum. Id ostendi non potest, quā nefarius impo-
Calvinus, qui operum merita hoc loco cum fide ab Apostolo veluti res penitus contraria

4. comparari affirmat! Sed nec de fiducia operum bonorum, quæ verè talia sunt, Apostolus hīc loquitur, sed de inani & vanissima Iudæorum fiducia locutus merito videri potest, qui iustitiam suam constituere volebant, de lege sua iustitia glorianes, partim merè hypocrítica, & ne morali quidē, (vt frequenter in Evangelio ijs, qui apud eos sanctissimi videbantur, Christus exprobrat) partim etiā vere

Operum
fiduciam
qualē
Apost.
damnat.

sed aperta iniquitate : qua plerorumque laborasse, illa Christi verba in Evangelio planum faciunt : *Nonne Moyses Ioa. 7. dedit legem, & nemo ex vobis facit legem?* Modum sane operum fiduciam & inactantiam, quæ vel penitus falsa ac mendax est, vel hypocritica & ficta est, in dicitur diuina Scriptura. Sed impostor temerariam & falsam operum fiduciam cum vera pietate ac sanctitate conturbat : & vt omne bonorum operum studium à salutis causa longissimè propellat, contra inanem ac falsam fiduciam declamatur. In summa, totam Apostoli disputationem non inuertit modò ac deprauat ; sed & in Epicureæ eius impietati subseruiat, indignissimè & violenter contorquet. Quod in sequentis capituli textu primo magis adhuc magis apparebit.

Argumentum Cap. X.

ROSEQUITUR hanc rationem casus Iudæorum, quam in fine cap. præcedentis breuiter attigerat. Mox in fidei Euangelicæ commendationem ; quæ eam Iudæi neglexerant, excurret iterum ; & iustitiam ex hac fide prædicat. Tandem de huius fidei ac iustitiæ toto orbe propagatione,